



Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum
MCCCLXX. II. Coenobii ...

Trithemius, Johannes

Francofvrti, 1601

Epistola Iohannis Trithemii Abbatis Sponheimensis In Chronicon Eivsdem
Coenobii Svi Feliciter Incipit.

urn:nbn:de:0128-1-17336

EPISTOLA IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPONHEIMENSIS
IN CHRONICON EIVSDEM COENOBII
SVI FELICITER INCIPIT.

Ad posteri-
tatem Epi-
stola.

IOHANNES TRITHEMIVS, ABBAS SPONHEIMENSIS, ORDINIS
dñi: patris Benedicti, chara posteritati, Deum timere, & à vitæ reg-
laris tramite nunquam recedere.



Causa sus-
cepti operis.

Difficultas
suscepti ope-
ris magna
fuit.

Orationes
legentis po-
stular.
Lector non
indiget pri-
usquam ex-
aminaverit.

Lucubra-
tiones Dn.
Ioan. Tri-
themij.

RIGINEM, fundationem & progressum præsentis monasterij nostri Sponheimensis, simul ac successiones abbatum eiusdem, scribere sapius mecum statui: sed varijs mundi occupationibus semper impeditus, desiderio satisfacere meo hæcenus non potui. Operæ namque mihi videbatur precium fore, si ea producerem ad posteritatis notitiam, quæ & multo tempore, & magno labore, diuersis ex monumentis veterum colligere potui, ne per obliuionem à memoria mortaliū penitus interirent. Fecerunt hoc ante nos in diuersis cœnobijs abbates & monachi plures, qui ad communem vtilitatem præsentium tunc, & postea futurorum, historias monasteriorum suorum, institutiones quoque, nomina & successiones abbatum eorundem, per ordinem temporis conscripserunt. Quorum ego prouocatus exemplo, quicquid inuenire de præsentis monasterio Sponheimensi vsipiam potui, in vnum ordinare codicem, secundum seriem annorum Domini, studiosa meditatione curavi. Enimuero nec defuit laboribus diligentia, nec sollicitudo continua nostram inquisitionem vnquam deseruit. Per annos ferme quindecim certis quidem intervallis multum laboravi, priusquam successiones abbatum & seriem in vnum potuerim ordinem comportare. Negligentia etenim illorum qui nos in præsentis cœnobio Sponheimensi extempore præcesserunt, mihi laborẽ duplicauit; quoniã nihil aut parum literis cõmendatum, quod mihi ad intentionem meam conduceret, & hoc ipsum quod literis commendatum exceperunt ab alijs, carie & situ quasi penitus videbatur consumptum. Feci tamen quod potui, & historiam, non qualem omnino volui, comportavi. Incipiens enim à prima fundatione monasterij præsentis, narrationem occurrentium historiarum per annos Dominicæ natiuitatis disposui, ad quorum consonantiam nomina abbatum & successiones, à primo vsque ad me qui sum quintus atque vicesimus per ordinem collocaui. Integritatem veritatis, quantum ego possum scire, seruauim in omnibus, nec sciens quicquam falsitatis inserui. Qui legerit ista me mortuo, dic, precor, mète fideli. *Miserere DEVS animam Tritheimij, qui ista compilauit.* Simulque rogo lectorem, ne quicquam eorum quæ scripsimus condemnet, priusquam diligenter examinauerit, aut errorem inuenierit manifestum. Detestabile namque genus hominum est, lucubrationes virorum, quas nec imitari possunt, nec facere meliores, impio dente corrodere; & quæ recte discernere nequeunt, præsumptuosa temeritate lacerare. Quin potius sicubi manifestum repererit errorem, Corrector beneuolus adesto: quia libenter admitto cum sincera charitate corrigentes. Sed de his iam satis. Cæterum est causa, qua moueor lucubrationum mearum omnium, quas edidi per annos tres atque viginti abbas præsentis monasterij Sponheimensis, per ordinem denotare, vt nouerit posteritas bene me semper voluisse: quamuis Nayatharum præpeditus insolentia, minime potuerim bonum perficere quod volui. In primis edidi opus magnum de vitijs atque virtutibus, libris 2. Item de tentationibus monachorum, lib. 2. In regulam S. Benedicti, lib. 1. Exhortationum ad monachos, lib. 2. De breuitate ac miseria præsentis vitæ, lib. 1. De visitatione claustralium, lib. 1. De modo celebrandi capitulum prouinciale, lib. 1. Statuta quoque prouincialis capituli, lib. 1. Statuta etiam annalis capituli, lib. 1. Chronicon Hirsaugienfis cœnobij hic quidem incepti, sed apud Herbipolim vrhem Francorum tandem compleui: opus magnum, & in duobus voluminibus partitum. Item Chronicon ducum Bauariæ, ad Philippum comitem Palatinum Rheni Bauariæ que ducem, librum 1. Chronicon quoque huius cœnobij Sponheimensis, cui hanc Epistolam præposui, lib. 1. De ruina ordinis nostri penthyrum li. 1. De laude scriptorum manualium, lib. 1. Laudes ordinis Carmelitarum, lib. 2. Laudes S. Annæ, lib. 1. De institutione vitæ sacerdotalis, lib. 1. De scriptoribus ecclesiasticis, lib. 1. De illustribus Germaniæ scriptoribus, lib. 1.

lib. 7. De illustribus viris ordinis nostri, lib. 4. De computo Ecclesiastico, lib. 1. De triplici regione claustralium, lib. 3. De spiritali exercitio monachorum, lib. 1. Eiusdem breuiarium, lib. 1. Quaestiones de Euangelio Iohannis, lib. 1. Quaestiones de Psalterio, li. 1. De continentia & virginitate, lib. 1. De viduis, lib. 1. De crucibus in hominum vestibus apparentibus, ad archiepiscopum Moguntinum epistolarum libros 4. Sermones multos & varios, cum quibusdam orationibus in capitulis, & alijs. His praemissis Lector vale. Die Octobris vltima, Anno 1506.

10 **CHRONICON HVIVS MONASTERII SPONHEIMENSIS, AB EXORDIO FVNDATIONIS SVÆ, COMPLECTENS SVCCES-
SIONES OMNIYV ABBATVM BREVITER, INCIPIT FELICITER.**



20 **A**NNO ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi **MXLIII**. Illustris comes Euerardus, comes de Sponheim Ecclesiam in loco qui mons campi dicebatur antiquitus, fundavit, anno quinto Imperatoris Henrici huius nominis tertij, tempore Benedicti papæ noni, sanctam Ecclesiam Moguntinam gubernante Bardone venerabili episcopo, viro per omniam sanctissimo, qui & eandem Ecclesiam in honorem beatissimæ Dei genetricis & virginis Mariæ consecrauit **VIII**. calendis Iulij, anno Domini **MXLVII**. Comes autem Euerardus pro animæ suæ remedio, ad eandem ecclesiam contulit non pauca bona, quorum emolumento vuerent qui altari in eadem deseruierent. In primis decimam villæ Sponheim, cum familia & dominicali terra in agris, vineis, hortis, pratis, pascuis, syluis, cultis, incultis atque colendis, vijs atque inuijs. In Pederheim quoque duos mansos. In Rudesheim prope Creutznacht tres mansos dominicalis terræ. Ibidem quatuor mansos cum quarta parte, quos coloni possidebant. In Hagenheim duos mansos, & duo iugera vinearum. In Basenheim mansum, & sex iugera. In Dromersheim dimidium mansum, & quatuor vineas. In Moncecha aream cum ædificijs, & **XII**. iugera vinearum. In Werngisbach duos mansos. In Efelbrun octo maldra tritici, & **XVI**. siliginis, de manso qui vocatur Eberhardi. Hæc & quedam alia prædictus comes ad ecclesiam à se fundatam contulit, & clericos in eam quosdam qui missas legissent, collocauit. Ius autem instituti ad beneficia clericos in ipsa ecclesia sibi & hæredibus suis reseruauit. Hanc quoque donationem solenniter facta sanctus Bardo archiepiscopus præfatus confirmauit. Itaque per annos ferme **LXX**. stetit ecclesia Sponheimensis, antequam in monasterium erigeretur. Erantque altaria in ea quatuor, quæ sacerdotibus sibi
30 succedentibus per seniores comitem de Sponheim ex more conferbantur.

QVO MODO ET QUANDO ECCLESIA SPONHEIMENSIS

erecta est in monasterium per Stephanum comitem de Spanheim, & filium eius Mezenhardum.

40 **A**NNO Domini **MCI**. Indictione nona, Romanum imperium tenente Henrico Imperatore quarto, ecclesiam quoque Moguntinam gubernante Ruthardo venerabili archiepiscopo, Stephanus comes de Sponheim illustris, diuina inspiratione præmonitus, ecclesiam suam in Monte campi à suis progenitoribus dudum (vt diximus) fundatam, erigere in monasterium curauit. Erat vir bonus & timens Deum, pro cuius honore ministris ecclesiæ ac pauperibus multa beneficia impendebat. Cœpit autem ædificare locos & mansiones pro monachis, secundum regulam sancti Benedicti conuenientia, anno prænotato: Sed diuersis occupationibus sese interficientibus præpeditus, incertum opus non continuauit. Vnde cum tandem se iam iam moriturum cerneret, filium suum Mezenhardum, paternæ substantiæ hæredem, ad se vocauit, ei que vt inchoatū præcœnobio edificium perfecisset, commisit, & sic in Domino quieuit **v. cal. Martij**, anno Domini **MCXVIII**. Mezenhardus autem in clyrus comes, patre mortuo, opus dudum inceptum fortiter aggressus in paucis annis cōpleuit. In medio ecclesiæ sub turri chorū pro monachis instituit, quæ
50

Comes Euerardus ecclesiam fundauit in Sponheim. Bardo episcopus Moguntinus.

Prima donatio huius ecclesiæ facta per Euerardum comitem.

Clerici scilicet hunc locum primitus inhabitauerunt.

Stephanus comes monasterium edificauit.

Stephanus comes de Sponheim moritur, Mezenhardus Comes fundatur huius monasterij.